

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0110

0108

0114

0104

0119

0099

0159

0059

0209

0009

0609

1109

Ende

Anfang

99

ductor peregrinorum per desertum, et multi alii de potentioribus. Qui omnes conventum ingressi concenterunt in infirmitaria fratrum in magna camera, quam fratres nominant cameram Venetorum, cum patre Gardiano et fratre Johanne de Prussia et aliis patribus senioribus, quibus etiam concenterunt peregrini notabiliores, ut dominus Johannes Wernherus de Zimbern, baro, et dominus Johannes Truchses, et dominus Bernhardus de Braitenbach, camerarius ecclesiae majoris Moguntinensis, et dominus Fernandus (B) de Wernawе, et dominus Maximus de Roppolstein. Insuper et duo patroni nostri tamquam principales cum eorum consiliariis ibi praesentes erant, ad quorum omnium conspectum jussi sunt peregrini ingredi. Et cum omnes praesentes essemus, intimaverunt nobis per unum eloquentem, quod peregrinatio hierosolymitana jam esset finita, et nihil amplius restaret, nisi recessus et repatriatio, ad quam omnes celerrime deberent se disponere. Si autem aliqui inter peregrinos essent, qui vellent in Jerusalem manere et ad montem Synai proficisci, illi deberent se modo manifestare, et in camera manere cum dominis. Alii vero deberent exire de camera et se ad recessum disponere, quia peracto prandio vellent eos de Jerusalem educere ad mare. Exierunt ergo omnes peregrini de camera, demitis duntaxat XVIII, qui remanserunt cum dominis, quorum nomina ponuntur fol. 221 B. Incepimus ergo tractare de peregrinatione montis Synai cum dominis, qui quidem tractatus fieri necesse est ante recessum patronorum et comperegrinorum in praesentia patronorum et aliquorum expertorum peregrinorum et patris Gardiani, eo, quod post recessum confratrum pagani remanentes peregrinos pro voto et libitu suo circumvenientes nimis gravarent et angariarent in pecunia solvenda, patronis autem adhuc praesentibus discretius procedunt, quia si indiscretum pretium exposcerent, cum suis confratribus ad mare redirent et peregrinationi montis Synai resignarent. Reduximus autem formam contractus super salva guardia nobis praestanda salvoque conductu dando a Jerusalem Judaeae usque ad Gazaram Palæstinae et a Gazara per desertum Arabiae usque ad montem Synai, a monte Synai per Madian usque in Egyptum ad Mathaream, ubi est hortus balsami. Nam usque ad eundem

7 *

